

10 munus hoc mihi maximi da, colonia, risus:  
 quendam municipem meum de tuo volo ponte  
 ire praecipitem in lutum per caputque pedesque,  
 15 verum totius ut lacus putidaeque paludis  
 lividissima maximeque est profunda vorago.  
 insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar  
 bimuli tremula patris dormientis in ulna.  
 cui cum sit viridissimo nupta flore puella  
 20 (et puella tenellulo delicatior haedo,  
 adservanda nigerrimis diligentius uvis),  
 ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni  
 nec se sublevat ex sua parte; sed velut alnus  
 in fossa Liguri iacet suppernata securi,  
 25 tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam,  
 talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,  
 ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.  
 nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,  
 si pote stolidum repente excitare veternum  
 et supinum animum in gravi derelinquere caeno,  
 ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

18—20

*(Vide adnot. crit.)*